

pronoti fere triplo longiore, stramineo, apice ipso leviter infuscato, articulis duobus apicalibus simul sumtis articulo secundo paullo longioribus, fusciscentibus, articulo tertio basi pallido; rostro stramineo, articulo primo toto apiceque articuli quarti fuscis; pronoto trapezoideo, margine basali longitudine sua  $\frac{1}{3}$  latiore, lateribus levissime sinuatis; hemelytris completis, dilute fuscis, limbo angusto costali corii cuneoque toto albidis, membrana fusciscente, fusco-venosa, macula parva ad apicem cunei hyalina; coxis flavescenti-albidis. Long.  $4\frac{1}{4}$  mill.

Syria: Kaifa. (Mus. Hung.)

A mare *B. rufifrontis* FALL. oculis minus exsertis, pronoto antrorsum minus fortiter angustato, colore antennarum margineque costali corii albido divergit.

Pedes desunt in exemplo descripto.

#### **Plagiognathus bipunctatus RÆT. var. picticornis n. var.**

Colore plus minusve in glauco-virescentem vergente; apice ipso capitatis et articulo primo basique articuli secundi antennarum nigris vel nigricantibus. ♂. ♀.

Hungaria: Budapest, Isaszeg, Bánhegyes, Baranya-Szent-Lőrincz, Jazova, Orsova, Drassó, Tövis, Mező-Záh, Görgény. (Mus. Hung.)

Varietatem hanc olim (Revue d'Entomologie 1894. p. 193.) eandem esse putavi cum *Plagiognatho fuscilori* RÆT., cui pictura capitatis et antennarum re vera simillima est. Differt autem ab illa notis specificis, i. e. statura majore, vertice paullo angustiore tibiisque anticis totis impunctatis.